



IN AGGÆUM PROLEGOMENON.

DE Patria, natalibus, & familia Aggæi nihil asserunt. Sunt qui natum credant in captivitate Babylonica; rediisse verò cum Zorobabele aliisque in 1. Esdra 2. 1. &c. recensitis. Reduces illi à captivitate nihil habuerunt antiquius, quàm ut Templum repararent, brevique eò redactum est opus, ut stata sacrificia resumerentur [a]. Sed adversariorum invidia malisque eorum apud Aulicos officiis factum est, ut Cyrus concessam ante facultatem ædificandi Templi revocaret (b); quod Cambyfes post ejus obitum ratum esse iussit; ut proinde opus spatio circiter 14. annorum intermitteretur. Verùm factis functo Cambyse, Dario Hytaspis rerum potito, suscitatur à Deo Aggæus (c), adjecto Zorobabele Principe Juda, & Jesu filio Josedech Summo Sacerdote, quò colatâ simul operâ intermisso diù ædificio summa manus imponeretur. Exprobrat Aggæus Judæorum incuriam, qui studiis omnibus versis, ut amplas sibi & commodas ædes instruerent, domum interim Dei desertam propriisque ruderibus sepultam dereliquerent (d). Ob oculos revocat flagella sterilitatis & siccitatis, quibus elapsis proximè annis segniores ad opus Deus revocaverat (e); scirent enim hæc omnia negligentia suæ merito in caput suum provocasse.

His Prophetæ verbis inducitur Zorobabel Princeps Juda, & Jesus Filius Josedech Summus Sacerdos, unâ cum optimatibus populi uno consilio operi necessaria instruenda susceperunt (f). Vix resumpto opere, Deus ire Prophetam iussit, ac re-

nunciare populo, ut si quis eorum gloriam veteris Templi à Salomone excitati antea vidisset (g), cui impar secundum hoc Templum videretur, ille animis non desponderet; decrevisse enim Deum hujus secundi Templi gloriam præ illo augere, non auri quidem argenticque fulgore, sed præsentia *Desiderati cunctis gentibus*, & pace ac prosperitate ex illo diffundendâ.

Geminas deinde quæstiones Sacerdotibus proponit (h). 1. An totum quod à carne sanctificata contingitur, Sanctitatem contrahat. Negarunt Sacerdotes. 2. An omne quod ab homine impuro contingitur, impurum item censendum esset. Affirmantibus illis, Propheta ex ea confessione argumentum deducit, omnia à populo neglectæ ædificationis Templi reo oblata Sacrificia oculis Domini minus grata, fuisse & accepta; sicut vicissim Sacerdotes perversâ cordis habitudine impuros maculâ suâ hostias etiam quodammodo vitiasse. Variis illos flagellis cecidisse Dominum, quò tandem à fœcordia excitarentur; cum autem vocem Domini sensissent, meliora sperare illos ac potissimum terræ fertilitatem jubet (i). Tandem meritis laudibus virtutem Zorobabelis efferens, electum illum à Domino dicit, quem velut annulum in manu sua pretiosum teneret, ex quo terribilem Judææ adversarium, nempe Chambysem, prostravit (k). De tempore quo Aggæus obierit, nihil memoriæ proditum est. Sepulturæ mandatum Jerosolymis inter Sacerdotes Pseudo-Epiphanius asseruit, unde facilis conjectura de Sacerdotali viri dignitate caperetur, si Authoris testimonium majoris esset ad fidem momenti.

g Agg. 2. 2. 3. 4. 5. . . . 10.

h Agg. 2. 12. 13. 14. 15.

i Agg. 2. 16. . . . 20.

k Ibid. 20. 24.

a 1. Esdr. 3. 3. &c.

b 1. Esdr. 4. 5.

c 1. Esdr. 5. 1.

d Agg. 1. 4.

e Ibid. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

f Agg. 1. 14. &c. 2. 1.



IN ZACHARIAM PROLEGOMENON.

Zacharias, filius Barachia & nepos Addo, permittâ à Cyro Judæis omnibus patriam repetendi facultate sub Zorobabele usus est. Prophe- tam egit Jerosolymis anno secundo Darii filii Hytaspis, à mense octavo anni Sancti, duobus mensibus post susceptum ab Aggæo munus, cui tamen in hortando ad Templi ædificationem aliquibus annis ante intermissam (a), comitem se præbuit. De ejus natalibus, obitu, rebusque gestis nihil in Scriptura, nihil apud Scriptores fati exploratæ autoritatis.

Sunt qui natum asserant in Judæa ante traditum in captivitatem à Nabuchodonosore populum; sunt etiam qui Babylone è genere Sacerdotali asserant. Sozomenus l. 9. c. 17. & Nicephorus l. 14. cap. 8. narrant, ejus cadaver in tumulo inventum veste albâ, quales Sacerdotes adhibent, eadem, qua sepulturæ mandatum fuerat, indutum. Sed illi cum Zacharia filio Jojada Summi Sacerdotis Prophetam cognominem confundunt. Namque Propheta filius Addo dicitur 1. Esdræ, 5. 1. quod pluribus persuasit Zachariam genuinum habuisse parentem Addo, Barachia verò non nisi adoptione filium habitum fuisse; nisi potius, que nobis sedet opinio, maluerimus patris nomine apud Esdram avum designari; solemne est enim Scripturæ, ut avi parentum nomine appellentur. Qui Judæorum axioma sequuntur, de cooprandis nimirum inter Prophetas parentibus aliisque Prophetarum necessariis, quorum nomina in capite Operis exprimuntur, illi Vatis privilegium tribuunt Barachia, & Addo; quin & eundem Addo Zacharia patrem vel avum ipsissimum credunt cum Propheta ad Jeroboamum misso, ut sacrilegium illius in consecratione aureorum vitulorum verbis castigaret (b). Alii verò nostrum hunc Zachariam à Jesu Christo Matt. 23. 35. designatum credunt, cum Zachariam quendam inter Templum & Altare occisum commemorat. Sed falluntur: utrique vultus est enim Jeroboamus, quàm ut posset ejus crimen ab avo Zacharia castigari; quis autem Zacharias iste à Christo designatus fuerit, Commentatores & Criticos inter se committit. Alii tandem Zachariam nostrum confundunt cum altero Zacharia filio Barachia ad Isaia ætatem

pertinente (c); sunt tandem qui cum Zacharia patre Sancti Joannis Baptistæ; que ambo opiniones ipsâ sui expositione restantur.

Quo mortis genere obierit, incertum. Profecdo si neci traditum inter Templum & Altare constaret, suum ipsi locum inter Martyres V. T. daremus; sed in re adeo incerta & ardua nihil possumus certi constituere. Pseudo Dorotheus sepultum Betharie, 150. stadiis à Jerusalem, tradit. Extat adhuc monumentum ad radices montis Oliveti, quod Zachariae Prophetæ asserunt, aliud planè ab eo, de quo Sozomenus, posito *Caphar* five *Caphar-Zachariae*, in finibus regionis Eleuteropolitana; sicut & alterum à sepulchro Bethariae, 150. stadiis five 5. leucis à Jerusalem, de quo Dorotheus. Apertissimum planè documentum de inconstantia hujus traditionis.

Eidem Prophetæ tribuit Pseudo-Epiphanius oracula quædam ab ipso prolata, cum Babylone in Judæam veniret. Edixisse fertur, oriturum Jesum filium Josedechi, & Zorobabelem filium Salathiel; sicut & victoriam Cyri de Croeso & Astyage; ac tandem restituendum ab eo Principem, unâ cum urbe Jerusalem, pristinum religionis & ceremoniarum cultum. Sed hæc, silente Scripturâ, fidei sunt sublesta; totosque proinde nos intentos occupat genuinum ejusdem Prophetæ scriptum, cujus schema sub-jicimus.

In ipso Operis exordio Zacharias Judæos hortatur, ut tandem in obsequium Domini redeant, neque ulterius committant, ut pervicaciam Patrum suorum, quos Dominus durè vexaverat, perennare velint [d]. Post tres menses Angelum adequitantem per myrtheta ad flumen implantata per visum spectavit (e). Accedebat in obsequium Angeli aliorum Angelorum satellitum, omnem regionem compositâ pace quiescere atque incolarum numero florere referentium. Ejus nuncios occasione (f) Angelus Dominum rogavit, ut tandem Urbium Juda miseratione clausus, jacentes erigi simulque restitui permitteret. Roganti facilem se præbuit Dominus, facultatem benignè permittens.

Oblatæ deinde Prophetæ quatuor cornuum (g), simul & totidem hominum malicis in eadem cornua armatorum species. His cornibus hostes designari populi di-

c Isai. 8. 2.

d Zach. 1. 1. 6.

e Zach. 1. 7. 11.

f Ver. 12. & seq.

g Zach. 1. 19. 20. 21.

b 3. Reg. 13. 1. 2. 3. &c. 2. Par. 12. 15.

a 1. Esdr. 5. 1.

spesores audivit; futurum enim, ut tandem omnes deicerentur contererenturque. Ob-
verfabatur etiam oculis Propheta vir su-
niculo Jerusalem dimetiens; adjectumque
oraculum, adesse jam tempus, quo Jerusa-
lem incolarum multitudine adeo coleret-
tur, ut intra moenium ambitum contineri
omnes non possent; ac tandem Deum post
exactam de Babylone ultionem, iterum
in Jerusalem sedem constitutum, quam
largo benedictionum imbre perfunderet.

h Zach. 3. 1. 8.

i Ibid. 3. 9. 10.

k Zach. 4. 3. 14.

l Zach. 5. 1. 11.

m Zach. 6. 1. 9.

n Zach. 6. 10. 15.

o Ibid. vers. 4. 14.

p Zach. 8. 1. 18.

q Ibid. 18. 27.

Secundum hæc, oblatum per visum Sum-
mus Sacerdos Jesus filius Josedec (b), qui
coram Angelo Domini stans, Satanæ accu-
sationes sustinebat. Immunis à crimine Ju-
dicis sententiâ pronuntiatus summo est
honore affectus. Tum Deus fide suâ obtri-
ctâ promissit, suscitaturum Orientem, sive
germen servum suum (c); illum verò ut
gemmam habendum, super quam, ait,
Septem oculi sunt. Spectavit etiam per
visum candelabrum septiceps (k), cujus
utrimque latera geminæ olivæ tenebant,
oleo in lampadas candelabri stillantes. Eo
emblemate Jesus Summus Sacerdos & Zo-
robabel designabantur. Liber volitans (l),
in quo Judicium universæ terræ scriptum
continebatur; vas fœminâ repletum; massa
plumbi in orificium ejusdem vasis deci-
dens, geminæ alatae mulieres, figuræ
sunt, quorum interpretatio ex Commen-
tario repetenda. Quatuor currus è mon-
tibus aneis egredientes (m), symbolum
referent Imperii Chaldaeorum, Persarum,
Græcorum, Ægyptiorum & Syro-
rum, quorum singula suo quæque tempore
in ultionem regionis Septentrionalis
& meridiana à Domino immissi.

Recepto ab Holdai, Tobia, & Idaia
auro, Zacharias geminas coronas conflat
(n); quarum alteram Jesu Pontifici destina-
vit, alterâ reservatâ Orienti sive germi-
ni, quo nomine Zorobabel, Jesu Christi ty-
pum exhibens, designabatur. Ambo verò
hæc pietatis & liberalitatis trium illorum
virorum monumenta in Templo deinde po-
sita sunt.

Anno quarto Darii die quartâ noni
mensis, consultus à Sarasar, & Rogome-
lech, aliisque nonnullis an quinti men-
sis jejunium, quod ad eam usque diem post
Templi & Urbis everisionem servatum fue-
rat, ratum integrumque maneret (o). Jussus
à Domino respondit: 1. Jejunium illud
hominum operâ, nihil Deo agente sive ju-
bente, institutum (p); 2. Exercenda illis
justitia, charitas, & scelera evitanda, quo-
rum merito tot in caput suum calamitates
patres ipsorum provocaverant. Scirent
tamen, Deum totum ad pietatem & mi-
sericordiam in populum suum versum, res-
tituere Urbes Juda atque fertilitatem ef-
fectâ jam ac tandiu sterili regioni red-
dere apud se constituisse. 3. (q) Quod
tandem ad jejunia quarti, quinti, septimi,
& decimi mensis spectat, tristes illos dies
in letos domui Juda transmutandos den-
nunciat.

Nonum caput in referendis Oraculis

adversus regionem Adria, Syriam & Phi-
listhaos impenditur, quos postremos po-
pulos tandem in obsequium Hebræorum
redigendos, atque in unum cum illis cor-
pus coalituros edicit (r). Versus dein
fermo, nec obscurus oppidò, adducit Je-
su Christum servatorem, tenuioris for-
tunæ virum, asinæ & pullo ipsius insiden-
tem (s). Nec prætermittum Regnum Mes-
sæ & ultio Domini de Antiocho Epipha-
ne malique Israelis Pastoribus repetenda,
(t). Succedit deinde bellum Judæorum
cum Romanis, scissamque Dei cum popu-
lo suo fœdus. Adjectum pretium triginta
argenteorum in pretium Summi Pastoris
destinatum; anigma de tribus pastoribus
unius mensis spatio neci traditis; ac tan-
dem de Pastore insensato, cui gregis sui
curam Dominus dereliquit (u).

r Cap. 7. 2. 8.

s Ibid. 9. 10. 11.

t Ibid. 12. 17. & 10. 1. 12.

u Zach. 11. 8. 10.

x Medus l. 4. Epif. 31. Hamm. in. Matth. 27. 10.

Recentiores quidam Critici (x) suspi-
cati sunt, capita 9. 10. 11. genuinum esse
Jeremiæ; suppositivum verò Zachariæ
opus; S. Mattheus 27. 9. 10. laudat Jere-
miæ nomine versum 12. capitis 11. Za-
chariæ; præcedentia autem capita 9. &
10. unâ contextûs serie cum cap. 11. con-
tinuantur; ex quo illud consequitur, ut
tria simul capita uni eidemque Scriptori
tribuenda sint. Malumus tamen in Textu
Evangelii mendum errore Amanensum,
supposito Jeremiæ nomine, agnoscere, quam
tria capita à Zacharia abjudicare. Que
verò Authores isti deprehendisse sibi visi
sunt in cap. 9. & 10. tamquam ab erate
Zachariæ aliena, atque tempore ante ca-
ptivitatem indicantia, hæc satis aptè de
tempore post captivitatem juxta nostram
hypothesim usurpantur.

Caput duodecimum bellum Antiochi
Epiphani in Judæos, victorias Maccha-
bæorum & luctum in funere Juda Mac-
chabæi persequitur. In ipso capitis limi-
ne ab 1. ad 7. florentes Judæorum res post
Antiochi persecutionem ad usque obitum
Messæ describuntur. Succedit v. 7. Messæ
obitus, accedunt duobus subsequenti-
bus versibus mala post ejus necem à Judæis
subeunda, quæ deinde Propheta etiam in
capite sequenti deplorat. Nec prætermis-
sa obsidio Jerusalem à Romanis, tum ad-
jecta Ecclesiæ Christianæ felicitas, Gen-
tilium ad illam reductio, persecutiones in
Fideles excitatæ, & ultio in persecuto-
res.

Fusior est, & stylo utitur magis etiam
quàm ceteri omnes Propheta minores ob-
scuro (y), interciso, præcipiti & desulto-
rio. Hoc autem illi præ omnibus commo-
di accedit, quòd quanto illis Messæ propin-
quior est tempore, ita in Oraculis de illo
exactior, & magis expressus. Non enim
apud Zachariam desideres oracula de ad-
ventu, de obitu, de ingressu in Urbem,
de pretio 30. argenteorum, quibus venit,
de postrema Urbis obsidione, de perse-
quutionibus in Ecclesiam Christianam susci-
tatis; oracula, inquam, plus quàm cæte-
rorum Prophetarum luculenta.

y Hieron. Præ-
fat. in lib. 1. Obscurissimus

Liber Zachariae Propheta, & inter duo-
decim longissimus. Vide etiam Præfat. in secundum Librum Commentar. in eundem.



IN MALACHIAM PROLEGOMENON.

Eorum, quæ ad Malachiam spe-
stant, in ambiguo adeò ver-
famar, ut viri nomen ne fat-
tis quidem constet; quam-
enim obtinet denominatio,
hæc munus potius designare
videtur, sonat enim missus, Angelus,
seu Propheta Domini, quod communem
fuisse eâ ætate Prophetarum omnium ap-
pellationem ex Aggæo [a] intelligimus.
Septuaginta Hebræum Malachim reddide-
runt Angelus ejus, eodemque, Angeli no-
mine nostrum Prophetam laudant Patrum
Græcorum & Latinorum nonnulli (b).
Utroque, & Malachiæ & Angeli Domini
titur Scriptor 4. Esdr. 1. 41. utrumque
etiam jungit Tertullianus; singulare verò
Malachiæ adhibet S. Justinus Martyr, &
S. Irenæus. Origenes serid autumavit, non
virum esse, sed Angelum exuviis morta-
libus indutum (c). Veteres Hebræi (d),
Paraphrastes Chaldæus, S. Hieronymus
(e), Rupertus Abbas suspicati sunt Ma-
lachiæ nomine Esdræ designari. Hæc
omnia nihilo certiori fide asseruntur,
quàm quæ narrat Pseudo-Epiphanius,
Dorotheusque, & Chronicon Alexandri-
num de Sapha orbe in Tribu Zabulon viri
patriâ, cui ex docilitate morum, & ex
præsentia Angeli ejusdem Prophetæ verba
visibili ad Populum aspectu confirmantis
Angeli nomen inditum. Immaturâ mor-
te obiisse & tumulo parentum suorum il-
latum ferunt.
Quod in ea re certum videtur, illud est,
nimirum Malachiam sub Nehemia, & post
Aggæum, & Zachariam munus invisisse,
quo tempore Templum jam restitutum sta-
bat (f). Inter Sacerdotes & populum Ju-

da licentia, quam acrioribus verbis Pro-
pheta reprehendit, nimio obtinebat.
Fœdus à Nehemia inter medios Sacerdo-
tes & Optimates gentis suæ cum Domi-
no innovatum spectasse videtur cap. 2. 4.
&c. sicut & de fame sub Nehemia graf-
fante (g) aptè intelligenda sunt verba
capitis 3. 10. &c. Invenitur non rarò in
Sacerdotibus [h], qui sceleribus suis Dei
nomini invidiam creant fœdusque cum il-
lo inquit violant. Plures irrepentes in
Ministris Domini abusus reprehendit (i).
Ductas inauspicato uxores alienigenas Ju-
dæis exprobrat (k), in fratres inclemen-
tiam [l], in divortia facilitatem (m),
in solvendis decimis & primitiis socor-
diam (n), pronam in marmor adversus
Deum indolem (o). Hæc omnia satis qua-
drant cum sceleribus in populo sub Nehe-
mia gliscentibus (p), ut & de ætate ejus-
dem Prophetæ documentum sint apertis-
simum.

Omnium V. T. Prophetarum, quorum
scripta supersunt, novissimus Malachias
400. circiter annis Jesum Christum præ-
cessit, neque obscuro prædixit oraculo di-
vini Præcursoris adventum, (q), tum &
duplicem alterum Jesu Christi (r). Hor-
rorem postremi judicii sub idea postremæ
Romanorum in Judæos expeditionis exhi-
bet, simul edicens Eliæ adventum, quo
nomine simul & S. Joannem Baptistam &
Eliam Prophetam designavit, quorum pri-
mus priorem Messæ adventum, alter al-
terum sub exitum Mundi præcederet. Post
Malachiam nemo alius, quem noverimus,
Propheta fidei satis assertæ usque ad S.
Joannem Baptistam in Israele surrexit.

g 2. Esdr. 5. 2. & 13. 10.
h Malach. 1. 6. & c. & 2. 1. 2. & c.
i 2. Esdr. 5. 12. & 13. 4. 5.
k Malach. 2. 11.
l Ibid. vers. 10. & cap. 3. 5.
m Ibid. vers. 13. n Malach. 3. 10.
o Malach. 2. 17. & 3. 14. 15.
p Vide 2. Esdr. 5. 1. & seq. & 9. 1. 2. & 13. 17. 19. 23. & 12. 43. 44. & 13. 10.
q Malach. 3. 1. r Ibid. 1. 2. 3. 4. 5.

Finis Primi Tomi.